

de providentia, sanavit quosam, fructus erit non parvus profuisse. Sin autem hoc contigerit, hoc saltem fructuosum erit, quod prodesse tentaverint. Ipse Christus non semper obtinuit, quod intendebat et querebat: siquidem Marci VI. propter incredulitatem Judæorum in patria sua non poterat signum facere.

II. Perturbantur alii vicissim, quia fiunt multa contra ipsorum voluntatem, infortunia, calamitates, deceptiones, orbitates, etc. a mundi vel fortunæ inconstantia profecta: sed hi advertere debent.

Primo, quam plurima in dies fieri contraria ipsi Deo, quæ tamen summam ejus tranquillitatem minime perturbant.

Secundo, prævidere hæc tamquam imminetia debent, et præcogitare, hæc talia vel debere suis peccatis vel ex naturæ imbecillitate, aut inconstantis mundi ingenio proficisci. Ita enim expectarentur, in dies varia incommoda, nec valde percellerent aut perturbarent animum. Hinc Seneca, ep. LXXVII. *Præcogitati mali*, inquit, *mollis ictus venit: unde sapiens assuescit futuris malis*, etc. Plutarchus, lib. de tranquillitate animi refert Ulyssen peregre reversum repentinæ morti canis illacrymasse, quem præsciverat male habentem. Itaque qui novit totum mundum in maligno positum, ut I. Joan. II. dicitur, nihil boni sibi ab eo pollicetur, et venientia mala facile tolerat. Ita Anaxagoras audita filii morte: *Sciebam*, inquit, *me eum genuisse moriturum*: ita qui opes, valetudinem, amicum perdit, simili modo se consoletur. Quid mirum si aliquando tandem frangatur vitrum? Si nix liquescat cito? Si domus tandem collabatur? Humana sunt ista, adeoque tolerabilia.

Tertio, cogitare quod tunc magna præbeatur tibi materia fortiter agendi, patientiam scilicet et magnitudinem animi exerendi. Unde Jacobi I. dicitur: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis*, etc.

III. Perturbantur alii, quia nimis magni æstimant bona vel mala temporalia. Hinc enim perpetuæ curæ et sollicitudines acquirendi et augendi: hinc continuæ lacrymæ et gemitus, cum bona illa perduntur: hinc metus futurorum. Sic lamentabatur Michas ob ablatum sibi idolum, Judic. VIII. nam cum suo sculptile omnia sibi ablata putabat. Et quid erat sculptile? Ita nimirum qui afficiuntur nimis erga temporalia, quanto quid exiguum perdunt, adeo lamentantur, ac si omnia perdidissent ipsique periissent. Sic tremunt et exanimantur pueri, cum excipi se vident sibilis anserum, et oves latratu catulorum. Proderit itaque moderari affectus erga res temporales, et cogitare in iis salutem nostram nequaquam esse

positam, sed potius impedimentum. Solent luseres dicere cum pecuniam vel quid simile perdidissent: Quid turn? Numquid fecit me ista pecunia? Non laudo hoc in luseribus: sed laudo, cum quid temporale perdimus absque culpa nostra. Quidquid enim perdamus, si Deum, qui nos fecit, et reficere fractos ac mortuos potest, retineamus, parum est.

IV. Perturbantur alii apprehensione vehementiore alicujus mali præsentis, præteriti aut futuri, uti belli, famis, penuriæ, etc. Sed imprimis hic sæpe inanis timor est, et velut larva, qua terrenatur pueri, ut ait Seneca, epist. XXIV. Potens est enim Deus mala bene vertere, idque ab eo sperandum, præsertim quantum ad ea spectat, quæ necessaria sunt vitæ et conservationi nostræ. Optimum ergo est confidere in Domino, et conjungi cum illo per charitatem, juxta Psal. CXXIV. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion*, videlicet erunt. Qua ratione? *Montes in circuitu ejus* (id est, montis Sion) *et Dominus in circuitu populi sui*. Et vero licet magna sit annonæ caritas, non est tamen cur inde perturbemur. Quia æque facile est Deo salvare, sive in paucis sive in multis: item sustentare nos miris modis, etiam ipso serpentum esu, lapidum, æris, etc. si vellet. Sic enim Deut. VIII. ait Moyses: *Afflixit te* (Deus) *penuria, et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui: ut ostenderet tibi quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei*. Deinde vanum est ante tempus excruciar, licet mala sint ventura: *Sufficit diei malitia sua*, inquit Dominus, Matth. VI. Nec avertere potest imminetent cladem nostra cogitatio, aut tristitia, sed nos ipsos conficit. Unde Eccl. XXX. dicitur: *Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas temetipsum in consilio tuo*. Denique, cum S. Athanasio, nubeculam esse hanc calamitatem, brevi duraturam: et meliora secutura sperandum est: *In die malorum*, ait Eccl. c. XI. *memor esto bonorum*. Si emersimus ex aliis miseriis, emergemus etiam ex hac. Sed de fama mea actum est, inquit, dicta et facta mea in deteriorem partem accipiuntur; sinistra de me sparguntur, et audiuntur hominum judicia. Sed imprimis sufficit probari sanioribus, sufficit probari Deo: *Ecce in celo testis meus*, ait Job, cap. XVI. Habuit et Christus suos contradictores, et Joannes Baptista, Matth. XI. *Venit enim Joannes*, ait Dominus, *non manducans, neque bibens, et dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax et potator vini*. Neuter tamen remisit quidquam de mentis tranquillitate. Denique, quis omnibus omnino placere hominibus queat? An nescimus fabulam de asino, quem

pater et filius agebant ad mercatum vendituri si possent? Agebant illum primo vacuum ante se, reprehenderunt illud obvii, quod neuter illo veheretur, cum esset pater senecta, filius pueritia imbecillis. Probavit sententiam pater et filium asino imposuit. Mox iterum obviarunt, qui patrem reprehenderunt, quod ipse annis gravis, pedestri itinere se vexaret, filium labori et itineri non assuefaceret. Recte et hos monuisse pater ratus, filium præire jubet, ipse asinum inscendit. Sed non multum progressus, audit mox objurgatores, quod tenellos pedes exerceat itinere, ipse suis callosis parcat. Ergo assidere post se filium jubet. Sed cum alii obvii iterum eum culparent, quod venditurus asinum, prius tanto pondere exanimare vellet, ad extremum asinum in pertica gestare cum filio cæpit, eoque facto multo maxime omnium se risui et reprehensionis exposuit, quasi mente captus esset. Itaque indignatione percitus, quod omnium judiciis taxaretur, asinum in vicinum flumen præcipitavit, et sic asinum dum sermonibus hominum moveretur, perdidit. Nimirum impassibile est, ita omnia sua componere, ut hominum cavillis obnoxia non sint.

V. Perturbantur alii, qui sua sorte contenti non sunt, et invident aliorum sorti meliori inhiantque semper, ut cum barones volunt fieri comites: nobiles barones: cives nobiles, etc. Horum cor perpetuis agitatur æstibus et fluctibus ad instar maris. Sic indoluit et illacrymatus est Alexander Magnus dicenti Anaxarcho plures esse mundos, eo quod necdum unius factus esset dominus, Plutarch. lib. de animi tranquil. Tales seipsos torquent et frustra quidem, nec enim per hoc ipsi feliciores, aut alii, quibus invident, fiunt miseriores. Incipiant ergo sua sorte contenti esse, et erunt quietiores. S. Egidius S. Francisci socius, beatum illum dicebat: « Qui amat et non desiderat amari: qui servit et servire sibi non cupit: qui se bene erga alios gerit non tamen eo fine, ut se erga illum vicissim bene gerant. »

VI. Perturbantur alii, quia se immiscent negotiis alienis. Si enim Martha, quæ solummodo satagebat domui suæ, audivit a Christo: *Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima*: quid audivisset, si curare etiam res alienas voluisset? Etenim qui nosse vel agere querit aliena, ad singula satis nequit attendere, nec ea, ut par est, expedire, et dum non expedit, confunditur, dejicitur, consternatur et invidiam patitur. Unde Paulus cum monuisset Thessalonicenses, I. Thessal. IV. *Rogamus vos fratres, operam detis, ut quieti sitis*, mox addidit: *Et ut negotium agatis*. Hæc enim radix est inquietudinis aliena negotia agere. Observandum etiam quod monet Seneca, in opusc.

de curiositate: « Qui inquirat, ait, quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sint, eruit, seipsum inquietat. »

VII. Quia mala egerunt, ita enim: *Jussit Deus ut peccatum sibi ipsi esset pœna*, ut ait S. Augustin. in confess. Speciatim vero et jure merito perturbantur ii, qui perturbant alios. Talis erat Ismael, de quo prædixit angelus: *Hic erit ferus homo: manus ejus contra omnes, et* (consequenter videlicet) *manus omnium contra eum*, Genes. XVI. multas feras non persequeremur, nisi ipsæ nocerent nobis et rebus nostris ut ursi, lupi, etc. Provocavit Amasias rex Juda, Joam regem Israel ad prælium temere: *Videamus nos*, id est pugnemus. Respondit Joas: *Contentus esto gloria tua, et sede in domo tua; quare provocas malum ut cadas tu, et ludas tecum?* Sed non acquievit Amasias. Venerunt ergo ad pugnam; sed Amasias captus et perductus est in Jerusalem suam, non jam ut rex, sed velut mancipium, et videre debuit muri dejectionem templique spoliationem, IV. Reg. XIV. Vixisset etiam Goliath, et quietus quidem, nisi temere provocasset phalanges Israelis: ita qui ad duella provocant, vel provocati prodeunt, quid nisi seipsos perturbant, et in plurimas curas et miseras conjiciunt: non ergo turbetur cor vestrum, etc.

CONCIO III.

DEI ATTRIBUTA QUOMODO IN CHRISTO ELUCESCAN.

I. Dei potentia. — II. Sapientia. — III. Bonitas naturalis. — IV. Sanctitas. — V. Benignitas. — VI. Providentia. — VII. Misericordia. — VIII. Justitia.

THEMA.

Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Joan. XIV.

Multi quidem veterum philosophorum cognoverunt hominis felicitatem et summum bonum consistere in cognitione Dei tamquam objecti nobilissimi. Quia vero Deum per seipsum cognoscere non poterant, in id summis viribus incumbant, ut eum cognoscerent per suas operationes, seu, per magna et mirabilia opera, quæ in mundo hoc cernebant. Verum, quia hæc via cognoscendi Deum longa nimis et anfractuosa erat ac difficilis, ad extremum Deus statuit eam facere brevioris et planioris, mittens Filium suum in mundum, qui cum esset imago Patris perfectissima, in humana natura et conversatione, perfectiones et excellentias æterni Patris nobis representaret. Hoc est, quod in hodierno evangelio respondet Dominus Philippo petenti videre Pa-

trem : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem*. Videtur mihi hoc ipsum expressum allegorice, Exodi XXXIII. quando simili desiderio Moyses petebat videre gloriam Dei : *Domine ostende mihi faciem tuam* ; sed respondit ei Deus : *Faciem meam videre non poteris, non enim videbit me homo, et vivet; sed posteriora mea videbis*. Transit ergo Deus et vidit Moyses eum a tergo ; tuncque insonuit vox Dei : *Domine Domine, Deus misericors et patiens, et clemens et multæ miserationis, et verax*.

Ergo, auditores, videamus transeuntem Deum per hunc mundum, videamus opera Christi et inde a posteriori demonstremus Deum, videamus eum in Christo veluti in speculo.

I. Vultisne videre Dei potentiam? Inspicite Christum, qui primo, potuit omnia facere et fecit, quæcumque ab eo petebantur, vel occasio requirebat. Nulla ægritudo fuit tam desperata, quam ille non curavit : nulla mors tam inveterata, quam non potuerit vivificare ; nam et puellam in domo mortuam, et adolescentem cum efferretur ad sepulcrum, et Lazarum in sepulcro triduanum et seipsum excitavit mortuum, unaque secum multos patres, qui ante multa sæcula obierant : nullus dæmon tam robustus, quem non expulerit, cum offerrentur obsessi : Ad hæc ostendit se omnia posse cum interrogavit cæcum : *Quid vis ut faciam tibi?* Et reipsa cum vel e nihilo creavit panes, et staterem in ore piscis, vel certe ex ære et aqua fecit : cum mutavit elementa, unum in aliud, uti aquam in vinum : cum contrariis contraria curavit, uti oculos cæci luto superposito, etc. Item ostendit se omnia posse in cælo, cum solem obscuravit : in terra, cum eam motu concussit : in aquis, cum fluctibus et mari imperavit, cum super eam ambulavit, cum e mari pisces quotquot voluit, et quos voluit, cepit : in aere, cum ascendit in cælum : in igne, cum eum de cælo noluit descendere super Samaritanos, quod tamen petebant duo discipuli, et id penes ipsum esse significabant : in hominibus, quando ejecit ementes et vendentes, quando cohortem prostravit verbo in Oliveto, quando et Judæorum manibus evasit cum voluit, etc. in creaturis, cum sicum arefecit, etc.

Secundo, solo voluntatis imperio omnia hæc fecit, nullis adhibitis machinis, instrumentis, emplastris, precationibus ; jussit solummodo fiat, mundare, respice, exi nequam spiritus, veni foras Lazare, etc. vel nihil etiam dicendo, voluit tantum ut cum dixit : *Vade, filius tuus vivit, etc.*

Tertio, in momento hic effecit, omnia. Cæci confestim viderunt, Lazarus statim prodit, lepro-

sus confestim mundatus est : dæmones illico ejecti sunt, etc. Solum interdum voluit effectum differre ob causam, ut cum leprosi mundati sunt in via.

Jam ergo vides in Christi potentia Dei potentiam. Potest enim omnia facere, quæcumque vult et quæ fieri ullatenus possunt, e nihilo creare, in nihilum redigere, unum in aliud mutare. Et ipse etiam est, qui e paucis granis multam segetem, e pluviis vinum quotannis facit copiosum, etc. Et hæc omnia facit solo voluntatis imperio, et quid potest facere mediantibus creaturis, potest facere ex se solo. Denique, in momento : *Dixit enim et facta sunt*.

Unde ergo quanti sit habere Deum benevolam aut infensum, et discite Deo te submittere, discite eundem timere, discite in eo sperare, siquidem creaturæ nihil in nos possunt, nisi ipse annuat.

II. Vultisne agnoscere Dei sapientiam? Christum intuemini, is enim primo scivit omnia : Præterita, ut mortem Lazari, Nathanaelem sub ficu, quinque maritos Samaritanæ, etc. futura, ut excidium Jerosolymæ, traditorem suum et interitum ejus, negationem Petri ejusque martyrium, mortem et resurrectionem suam, occursum hominis amphoram aquæ portantis, eversionem Judæorum, Ecclesiæ incrementum, etc. Scivit absentia ut ægritudinem Lazari, item abditissima quæque, ut staterem in ore piscis natantis in mari : vidit cogitationes et arcana cordis : unde ait Samaritana : *Dixit mihi omnia quæcumque scripsit in terra peccata Phariseorum*. Ad hæc sapientissime elusit omnem humanam astutiam, uti in quæstione de tributo Cæsari dando, etc. novit etiam quæ ex hypothesi fuissent, ut quæ in Tyro et Sidone agenda fuisset penitentia, neminem omnino salvandum, si persecutio antichristi non abbreviaretur, etc.

Secundo, scivit ea omnia a semetipso, nullum habuit magistrum aut consiliarum : unde mirabantur Judæi : *Unde hic litteras scit cum non didicerit?* Et si aliquando interrogavit discipulos vel alios, non ideo fecit ut ab ipsis aliquid disceret, sed alias ob causas.

Tertio, scivit ea uno simplici intuitu, non eguit discursu, unde nihil ipsi novum erat, nihil dubium aut inevidens. Ad omnia resolutus et nulla in re unquam dubius fuit, nihil unquam oblitus.

Talis est Dei sapientia. Novit enim primo, omnia præterita, futura, præsentia, necnon possibilita, omnia etiam individua : rimatur cogitationes hominum : eludit omnium hominum consilia, etc. Secundo, omnia in sua cognoscit essentia tam-

quam in speculo nitidissimo sine ope aliena (*Quis enim consiliarius ejus fuit.*) Tertio, uno et simplici intuitu omnia ab æterno videt, tamquam præsentia, licet ea secundum nos præterita aut futura sint, unde nec errare, nec dubitare, nec oblivisci quidquam potest.

Ergo sub tanta sapientia, humilia intellectum tuum : deinde, sine sub oculo cuncta cernente, cuncta penetrante.

III. Vultisne scire Dei bonitatem naturalem, quæ est perfectio rerum omnium : Christum inspicite. Invenietis enim primo, in eo omnes virtutes, et quidem in gradu excellentissimo, ita ut omnes omnium sanctorum virtutes longe superet.

Secundo, omnem sapientiam ; unde dicunt servi principum : *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo*, Joan. VII. et alii : *Omnia bene fecit, surdos fecit audire et mutos loqui*.

Tertio, omnem pulchritudinem, ut imprimis in monte Thabor patuit.

Quarto, omnes divitias, uti patuit in piscium captura, in staterem ex ore piscis deprompto ; in pane et vino repente facto, etc. Hinc enim intelligimus potuisse eum, si voluisset, omnia habere.

Denique, alia bona omnia, potentiam, majestatem, dulcedinem, gloriam, etc.

Talis est Deus, omnis videlicet boni fons, et quidem redundans. Ergo in Deo quære, si quid boni quæres : siquidem extra illum nequiquam invenies, nisi umbram boni tantum.

IV. Vultisne cernere Dei sanctitatem? Christum contemplamini. Tam is sanctus fuit, ut non modo peccatum nullum admiserit, sed nec admittere potuerit. Deinde, peccati hostem sese exhibuit infensissimum. Hinc enim illa tam severe exprobravit hypocritis, Scribis et Phariseis : *Væ vobis Scribæ et Pharisei, etc.* hinc tam serio castigavit ementes et vendentes in templo : hinc lacrymatus est super Jerusalem : hinc protestatus et turbatus super proditore sibi assidente : hinc sanguinem fudit sudorem : hinc mortem appetiit ut peccatum deleret : hinc parentes elegit sibi sanctissimos, qui nulli obnoxii peccato essent : hinc reprobos uti epulonem ne nominat quidem ; et similibus dicit : *Nescio vos*.

Talis ergo est Deus purissimus scilicet et omnis puritatis ac sanctitatis fons et amator, peccatique hostis immortalis, qui nihil omnino coinquinatum intromittit in regnum suum. Vide ergo ut in hoc mundo, velut in templo Dei sancto cum omni puritate et sanctitate ac reverentia, quasi in oculis Dei converseris. Deinde, ne templum animæ tuæ, in quo idem Sanctus sanctorum inhabitat, inordinatis affectibus et peccatis violes.

V. Vultisne nosse Dei benignitatem et amorem? Ecce vobis Christum, qui primo, omnia, quæ habuit et potuit communicare, prompto animo obtulit, gratiam imprimis, et doctrinam cælestem. Ideo quæsit peccatores veluti oves perditas, Magdalenam, Petrum, Thomam, etc. Deinde, gloriam suam, quam nobis sanguine suo, uti et gratiam mercatus est. Ad hæc dedit seipsum nobis primo, per incarnationem ; deinde, per oblationem in crucem, et adhuc magis per institutionem eucharistiæ. Quid amplius dari nobis potuit?

Secundo, modus amandi erat intensissimus. Amore enim nostri infans factus est, complexatus est parvulos, deploravit Lazari mortem et excidium Jerosolymæ, discipulos suos vocavit fratres suos, cum eis nuntiari jussit resurrectionem suam, ad infirmos vocatus libentissime ivit, uti ad servum centurionis : *Ego veniam et curabo eum*. Denique, mala nostra in se suscepit, et ut nos viveremus, ipse mortem oppetiit.

Tertio, finis hujus dilectionis erat commodum nostrum tantum, ut nos regni sui faceret participes.

Talis est Dei benignitas. Dedit enim nobis corpus et animam, mundum et quæ in eo sunt ad obsequium nostrum, angelos in custodiam, ad extremum Filium suum, et per eum gratiam suam, et promisit gloriam suam. Dedit etiam seipsum in gloria sua quodammodo in cibum et potum nostrum per intimam unionem. Deinde, diligit nos, ut pater filios. Denique, non sui sed nostri commodi gratia omnia ista dedit : nihil enim ei demitur, si ipsi non serviamus. Ego tanto amatori grati simus et amantem redamemus.

VI. Vultisne intelligere Dei providentiam? Christum contemplamini. Is primo, necessario egentibus providit : uti vinum in Cana, panem et pisces auditoribus suis in deserto, ægris medicinam, afflictis consolationem, etc. Lazarum non suscitavit, nisi post triduum, ob bonum aliorum, etc. discipulis piscantibus præparavit picem assum.

Secundo, mala ab hominibus avertere satagebat, uti periculum discipulorum in mari laborantium, et Petri mergi incipientis. Impedivit Satanam, qui expetivit cribare discipulos ejus sicuti triticum.

Tertio, suos etiam tutatus est, et servavit, uti in monte Oliveti, et Calvariæ, etc. *Simite hos abire*.

Talis etiam est Dei providentia. Necessaria nobis providet, mala plurima avertit, quæ vel diabolus, vel nos ipsi nobis in anima, corpore e-

bonis illaturi essemus, servat atque conservat nos.

Ergo acquiescamus divinæ providentiæ, nec contra eam murmuremus, siquidem intelligimus eum omnia moderari sapientissimo consilio. Deinde, pellamus auxiam rerum hujus vitæ sollicitudinem. Denique, fiduciam in periculis maximam capiamus.

VII. Vultisne scire Dei misericordiam? Videbitis eam in Christo, quando viduam mortem filii deflentem videns, misericordia motus stetit, filiumque resuscitatum ei restituit, item quando flevit super Lazari mortem, et super Jerosolymæ excidio præviso.

Huic affines sunt primo, patientia, quam tota vita tenuit, et imprimis in tolerandis obrectatoribus et proditore suo; deinde, in tolerandis aliorum discipulorum defectibus. Item cum tulit æquo animo excludi se a Samaritanorum civitate, nec ulcisci voluit: similiter cum Petri gladium inhibuit.

Secundo, mansuetudo, qua etiam cum peccatoribus humanissime versabatur et manducabat, peccatricem non repulit, ad colloquendum cum Samaritana super puteum sedit, ad Zachæum se invitavit, etc.

Tertio, clementia, qua non solum injurias omnes facile condonavit, uti Petro et discipulis sui desertoribus, sed etiam beneficia impertiit, uti cum pro inimicis oravit in cruce, cum Malcho aurem restituit, cum Judam ad osculum recepit, etc.

Talis ergo est et Dei misericordia, qui ab innumeris miseris nos liberat, ac sæpe nescientes. Deinde, tolerat peccatores, licet sæpe relabentes, multo tempore, expectans eos ad pœnitentiam, nec repellit ab Ecclesia, sacramentorum perceptione, etc. beneficiis sæpe demulcet, condonat peccata, remittit pœnas et flagella, commutat pœnam æternam in temporalem: unde ergo quid rependas tantæ misericordiæ?

VIII. Nosse volumus Dei justitiam? Videamus eandem in Christo. Primo, cum peccatores corripuit, ut quando ementes et vendentes facto flagello ejecit e templo, quando Jerosolymitanos excidio punivit.

Secundo, cum suum cuique tribuit, nec personarum acceptor fuit, ut cum duobus discipulis petentibus sedere ad dexteram et sinistram ejus, respondit id non esse suum dare illis, sed quibus paratum est a Patre: item cum dixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo*: item cum vectigal, quamvis exemptus, solvit, ne quem scandalizaret.

Tertio, cum resipicientes in gratiam recepit,

obstinosos vero reliquit et perire permisit, ut cum Petrum lacrymantem recepit in gratiam pristinam, Judam vero desperantem permisit abire in locum suum, id est, in infernum. Similiter cum latronem confitentem duxit secum in paradysum, alterum blasphemantem damnandum reliquit.

Talis ergo est et Dei justitia. Suo enim tempore punit peccatores pro merito; suam etiam cuique mercedem dat, se denique unum quidem assumet, videlicet pœnitentem, alterum relinquet, scilicet impœnitentem.

Vide ergo ut timeas Deum semper, ne te deserat, etc.

CONCIO IV.

QUOMODO CHRISTUS NOBIS VIA, VERITAS ET VITA.

I. Christus doctor. — II. Ductor. — III. Redemptor.

THEMA.

Ego sum via, veritas et vita. Joan. XIV.

Tria omnino, et non plura, exigere poteramus ut infernum declinare et salutem consequi possemus, nimirum, ut doceremur viam cœli, ut incitaremur efficaci exemplo ad progrediendum, et ut liberaremur a potestate dæmonis, ac peccato, a quibus retinebamur. His enim tribus datis nullam excusationem habet homo, si a salute sua deviet et damnatur. Jam vero Christus omnia hæc nobis præstitit: docuit viam cœli verbo veritatis: prævit ipse suo exemplo: redemit nos a potestate dæmonis et peccato. Triplex hoc beneficium Christus nobis significat, cum ait in hodierno evangelio: *Ego sum via, veritas et vita*: via per exemplum, veritas per doctrinam, vita per redemptionem. Uti mox ostendemus.

I. Indigebamus doctore, qui nos viam cœli in veritate doceret. Etenim post lapsum primi hominis in tantas ignorantie tenebras devenerat genus humanum ut (paucis exceptis) suum et communem omnium opificem nesciret, ejusque providentiam et gubernationem, fines honorum et malorum, cœlum et infernum, animæ immortalitatem, vitiorum turpitudinem, virtutum pulchritudinem, regulam bene videndi. Unde quasi cæcus per tenebras currebat ad mortem, eamque secundam et immortalem, pro Deo colebat astra, homines impios et damnatos, vel eorum statuas, vel animalia rationis expertia, et in his omnibus dæmonem, qui omnes suo sub imperio tenebat, et secum ad æternam noctem trahebat. Has igitur tam exitiales tenebras veritas Christus doctrinæ suæ luce dispulit, errores detexit, diaboli

fraudes et tyrannidem aperuit, Deum verum ejusque providentiam, misericordiam, et justitiam patefecit, honorum præmia et malorum supplicia proposuit, totamque salutis viam, hoc est, seipsum suaque instituta clarissime omnibus demonstravit. Ipsa ejus doctrina in primis tota gravis est et seria, nihil, nisi quod sit utile salutis, continens: plana item et rudibus etiam ingenii accommodata: sublimis etiam et inexhausta profunditatis, ut doctissimi quique semper in ea dicere possint: plura quoque et perfecta, illustrans intellectum, inflammans voluntatem, dirigens operationem, componens vitam, etc. Hujus enim doctrinæ instrumentum fuit ipsa Christi humanitas omni sapientia et eloquentia referata, unde longe superat cæteras Scripturas sacras, quas per homines tantum Spiritus s. dictavit; ut facile agnoscat lector plusquam hominem fuisse, qui doctrinam illam tradidit. Consideremus aliqua capita. Ad terrenarum rerum abdicationem hortatur dicens: *Nisi suis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; et: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, etc.* et: *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, etc.* ad castitatem: *Sunt eunuchi, etc.* ad obedientiam: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, etc.* Qui amat animam suam, perdet eam, etc. ad dilectionem inimicorum: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*? ad studium orationis: *Quis ex vobis patrem petit panem, etc.* Et ego dico vobis: *Petite et accipietis, etc.* Taceo parabolas illas omni sapientia plenas ad omne virtutis genus excitantes.

Quod si modus consideretur, quo collatum est hoc beneficium magis adhuc crescit. Docuit enim Dominus, non per angelum aliquem aut prophetam sed per seipsum aliquot annis, magno labore in fame et siti, æstu et gelu, in magna fatigatione, ut patet in sermone habito cum Samaritana; in variis item locis, oppidis, vicis, in deserto, in montibus, in campestribus, terra marique, in templo, plateis, domibus publice et privatim. Neminem etiam excludebat e suo auditorio: undique occasionem docendi dexterrime captabat: rudiorum ingenii se accommodabat: nec ob duritiam hominum, aut Pharisæorum obrectationes et minas desistebat: ad discipulorum suorum captum benigne se demittebat: eorum crassitiam et tarditatem patienter sustinebat. Mirabile spectaculum videre divinam illam sapientiam cum plebeis et rudibus hominibus, piscatoribus, mechanicis assidue occupatam et conversantem. Multum foret, si quis magnus doctor rusticanos pueros a principiis et alphabeto instrueret, eorum crassos mores toleraret, etc. quanto plus est il-

lud? Multum etiam putatur, si cū viro plebeio scribat rex propria manu familiares litteras, multo plus est illud. Quare S. Antonius, cum ad eum Constantinus Magnus et filii crebro litteras misissent, ut reciprocis ab eo scriptis exhilararentur, nihil hac principum benevolentia motus: « Et tamquam non acceptis litteris, (ut scribit S. Athanasius, in ejus vita,) convocatis monachis, aiebat: Reges sæculi ad nos miserunt epistolas. Quæ hic Christianis adhibenda admiratio est? Licet enim diversa sit dignitas, attamen eadem nascendi et moriendi conditio est. Illa sunt omni admiratione percolenda, illa toto affectu retinenda sunt; quod hominibus Deus legem scripserit, qui per Filium suum propriis Ecclesias ditavit eloquiis. »

Hujus beneficii figuram habemus illuminationem cæci nati, Joan. IX. cum Christus expuit in terram et fecit lutum ex sputo, et linivit oculos ejus, jussitque eum lavare in natatoria Siloe, uti exponit S. Aug. hom. XLIV. in Joannem.

II. Indigebamus ductore. Etenim licet homines agnovissent viam cœli, ea tamen illis visa fuisset ardua nimis et difficilis, quia cum sensibus ducantur, nihil præter sensibilia perfecte apprehendunt. Spiritualia autem, quibus continetur via cœli, obscure tantum, et confuse ac quasi a longe; quo fit ut a spiritualibus parum et languide moveantur, a sensibilibus vero multum et vehementer. Cum ergo via virtutis, alioquin per se facilis et jucunda, videatur hominibus aspera et difficilis, Christus hujus infirmitatis nostræ conscius, ut fortius apprehenderemus bonorum spiritualium excellentiam, magisque ad ea consequenda excitaremur, difficultates vero annexas facilius superarem, factus est nobis via, dum exemplo suo in omnibus præire voluit, et sensibile exemplar omnis perfectionis seipsum exhibere, ad quod assidue intuentes, vitam nostram conformarem. Absque hoc enim multi erant dicturi, facile esset virtutis viam ostendere, sed non item peragrarè: hanc difficultatam non esse expertum Dominum nostrum, sed grave tantum onus imposuisse nobis, quod digito suo non movisset; ad quem modum miles quidam, ut refert Frontinus, lib. cap. VI. Xenophonti duci objecit, facile eum sedentem in equo laboriosum iter imperare: sed ut Xenophon equo mox desiliit et militem ei imposuit, ipse pedester incessit: ita fecit Christus: de equo enim gloriæ suæ ipse desiliit in asperum virtutis iter, nobisque ita in omnibus prævit, ut nos equitare, ipsum pedibus incessisse fateri debeamus. Cujus rei figuram proposuit nobis in Samaritano, qui de equo suo descen-